Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26826
Copyright: Admont, Benediktinerstift

47

i. sapientes ut pharisei. ¶ gramatici. ¶ qui se videre putant. et medicum non querunt. ceci fiant amplius. et in cecitate sua permaneant. Et audierunt etc. et dixerunt ei. ¶ Si ceci essetis ¶ Si ex humilitate vos cecos reputaretis. ad medicum curreretis. et ita non haberetis peccatum. ¶ quia lux mundi non solum venit illuminare tenebrosos. sed et tollere peccata mundi. quia agnus dei. ¶ vel non haberetis peccatum. Concorde. Si non venissem et locutus non fuissem eis. peccatum non haberent. Supple: tamen. Nunc vero quia dicitis videmus. propterea quia medicum non queritis. peccatum vestrum manet. et ita permanetis ceci. Ioh. lxxx. viii.

quia cecitatem suam non agnoscit

10 Amen amen dico vobis qui non intrat per hostium in ovile ovium. sed ascendit aliunde: ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium. pastor est ovium. Huic ostiarius aperit. et oves vocem eius audiunt. Et proprias oves vocat nominatim. et educit eas. Et cum proprias oves emiserit. ante eas vadit. et oves illum secuntur. quia sciunt vocem eius. Alienum autem non secuntur. sed fugiunt ab eo. quia non noverunt vocem alienorum.

Hoc proverbium dixit illis Ihesus. Illi autem non cognoverunt id quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ihesus. Amen amen dico vobis. quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones. sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur: et ingredietur: et egredietur: et pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur. et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant. et habundantius habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercennarius et qui non est pastor. et cuius non sunt oves proprie. videt lupum venientem. et dimittit oves et fugit. et lupus rapit et dispergit oves. Mercennarius autem fugit quia mercennarius est. et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus. et cognosco meas. et cognoscunt me mee: